

† R. P. Orlandus de Moraes.

(E vice-prov. Brasiliana Germ. sup.).

Primus fortasse hic flos ex America meridionali in S. Alphonsi hortum translatus est, ubi adolevit fructusque reddidit vitae aeternae.

P. Moraes die 23 septembris a. 1888 in praedio patris sui in parochia Bomfim status Goyacensis in Brasilia natus est. Pater, qui opes haud spernendas collegerat et nunc in Campinas prope domum nostram vitam agit, semper, quae hominis christiani sunt, fideliter implevit. Mater vitam vere sanctam egit.



P. Moraes ipse testatus est se sanguine indiano fere puro ortum esse. Puer sagax piusque, cum sacerdotii desiderio teneretur, in novum juvenatum nostrum, qui Apparecidae tum primum institutus erat, admissus est. Ingenio quidem magno praeditus non fuit, at discendi assiduitate et oboedientia, quod ingenio deerat, abunde supplevit. Studiis humanitatis absolutis noviciatuque peracto Penhae die 25 februarii a. 1908 ad s. vota nuncupanda admissus est, unus e quattuor illis, qui e Brasilia oriundi primi in vice-provincia nostra vota professi sunt. Studiis philosophicis ac theologicis maximam partem Garsii in provincia matre vacavit; sed, cum iam tunc valetudine tenui esset, virium reficiendarum causa annum in Brasilia moratus est, unde reversus studiis finitis die 21 iunii in ecclesia nostra Deggendorfsi in Bavaria ad sacerdotium evectus est.

Duodecim annos in agro Domini Brasiliae laboravit, cumque indoles eius ad scrupulos proclivis esset, haud facile laboravisse videtur. Quia vero moderatori conscientiae suae sapienter fortiterque eum ducenti accurate et libenter oboedivit, optime victor evasit. Magni oratoris laude quidem non floruit, sed omnia, quae dicturus erat, accurate conscripta memoriaeque mandata habebat. Contionibus eius itaque animi audientium fortiter commovebantur, ita ut multi in sacro tribunali eum adirent. Ubi cumque in laboribus apostolicis sudaverat, eius memoria diu apud populum mansit incolumis. Praesertim in statibus S. Pauli et Rio Grande do Sul, quamquam valetudine semper debili, multum in missionibus laboravit.

Cum dioecesis Portus Nationalis in Brasilia erigeretur, in eo erat, ut P. Moraes primus eius episcopus crearetur. Sperabatur fortasse, cum fratres quoque eius fundos magnos possiderent, a familia locuplete ei subsidia obvenire posse. Sed ad litteras Nuntii Apostolici in hunc sensum acceptas P. Moraes statim ita respondit, ut de voluntate sua dignitatem

non accipiendi dubium non relinqueret. Ipse autem tamdiu animo de-
uisso esse videbatur, donec periculum sublatum esse comperit.

Mense iulio a. 1924 Aparecidam translatus est ibique basilicae nostrae
praefectus nominatus statim laborare coepit. At mox, cum parum san-
guinis haberet, vires eum defecerunt. Tumores per totum corpus diffusi
accesserunt, qui tandem etiam pulmones adorti sunt. Cum rusticatio in
praedio nostro montano (*Serra*) levamen non attulisset, nec medicorum,
ad quos in civitatem S. Pauli remissus erat, ars proficeret, ipse rogavit,
ut Aparecidae ad mortem se praeparare posset.

Prima dominica adventus, die 30 decembris a P. Superiore vice-pro-
vinciae nostrae s. sacramentis munitus magna parte communitatis praesente
vota sua renovavit. Paulo ante, quo die ante aliquot annos mater eius
mortua erat, ultimum ad altare s. sacrificium obtulerat, ad s. communionem
accipiendam autem, quamquam aeger, cotidie in sacellum domesticum ve-
nire voluit. Vomitus vero irritatione, qua saepe mox post s. communionem
acceptam correptus est, etiam hoc solacio orbari videbatur, iamque, ne vel
minima SS. Sacramento etiam ab invito inferretur offensio, s. communione
carere paratus erat, cum ecce Dominus servi sui fidem remuneratus est.
Repertum est enim aegrotum s. speciem retinere posse, si in lecto ma-
nenti summo mane afferretur. Itaque usque ad ultimum diem Dominum
corde suo excipere potuit.

Die 6 decembris hora suprema instare visa est, quare aeger Rectorem
rogavit, ut benedictione data sibi iter aeternum ingredi permetteret. Rector
vero id facere recusavit, eo quod ob proximum festum B. Mariae V. Im-
maculatae ac peregrinorum multitudinem confluentem exsequiis commu-
nitati incommoda afferrentur. Infantis oboedientissimi more P. Moraes in
superioris voluntate acquievit. Decem diebus post in octava Immaculatae
Conceptionis, die 16 decembris, iterum proficiscendi veniam petivit, cumque
eam obtinisset, paucis horis elapsis tota communitate religiosa praesente
animam optimam Deo reddidit.

In exsequiis et praesertim in communionem generali, quae in eius animae
suffragium instituta est, hominum frequentia videri potuit, in qua apud
populum veneratione fuisset. R. i. p.!